



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXVI. Alexandri Papae III. Ad Henricvm Regem Angliae. Eiusdem
argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA XXVI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico
illustri Anglorum regi salutem & apostolicam
benedictionem.*

MAGNIFICENTIÆ tuæ literas, quas nobis per dilectos filios nostros, primo Reginaldum Saresberensem, & deinde Randulphum Lauensem archidiaconos, viros prouidos & discretos, & in commisso sibi negotio studioſos atque sollicitos transmisisti, paterna benignitate suscepimus, & earum continentiam diligenter curauimus & studioſe audire. Cum autem excellentiæ tuæ petitiones nobis tam ex serie literarum, quam ex nuntiorum tuorum viua voce, plenius innotuissent, & nos cum fratribus nostris exinde diutius deliberassemus; non fuit nobis visum quod aliquam earum, iuxta quod rogasti, cum honestate nostra & ecclesiæ possemus effectui mancipare. Verumtamen, vt sublimitati tuæ in omnibus, quantum cum honore Dei & ecclesiæ fieri poterit, deferamus; & ne nos potius ex voluntate, quam de necessitate credas aliqua ratione fecisse, dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, & magistrum Viuianum, viros quidem prouidos & discretos, & nobis ac toti ecclesiæ caros pariter & acceptos, ad regiæ celſtudinis præsentiam destinauimus; per quos magnificantiæ tuæ voluntatem & animum nostrum, & talia, quæ ad honorem & exaltationem tuam spectabunt, & quæ serenitati tuæ merito placere debebunt, plenius significamus.

Quod autem (sicut ex magnificantiæ tuæ literis intelleximus) intantum voluntatem tuam, & animum tuum circa negotium venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi inclinasti, quod eum ob reuerentiam ecclesiæ, & nostram permitteres ad propria remeare, & ecclesiam in pace tenere, dummodo quod tibi debet impendere velit, gratum admodum acceptumque tene-

mus,

mus, & diuinæ clementiæ, quæ hæc cordi tuo procul dubio inspirauit, quantas possumus laudes & gratias exhibemus; serenitatem tuam attente rogantes, & tibi in delictorum tuorum veniam iniungentes, quod Deo potius quam homini in præscripto negotio deferas, & ad hoc solummodo diuinæ pietatis respectu animum tuum inclines. Super eo vero, quod magnificentiæ tuæ de nobis, & nostræ voluntatis mutatione significatum fuisse dicebas, non oportet discretam prudentiam tuam omni spiritui credere, cum multi detractores, & corrosores existant, quorum dictis quibuslibet non est fides adhibenda aliquatenus. Nos autem voluntatem & desiderium habemus personam tuam, sicut carissimi in Christo filii nostri, toto cordis affectu diligere, nec eam in aliquo (nisi forte, quod Deus auertat, nos ad hoc tu ipse compelleres) volumus aggrauare. Datum Beneuenti pridie Kalendas Martii.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ XXVII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

*Minatur illi censuram ecclesiasticam, nisi a sacrilegiis
abstineat.*

Et quidem, si ea, quæ monentes in spiritu mansuetudinis, & cum omni humilitate prædiximus, effectui, sicut debes, mancipare curaueris, & tuæ procul dubio gloriæ & saluti consules, & Deo ac nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin, quantumcumque te sicut filium carissimum & Christianissimum principem diligere, & tuæ magnitudini deferre velimus, manus beati Petri & nostras a tuo non poterimus grauamine continere. Et plus Deum, quam homines, sicut dignum est, metuentes, ecclesiæ iura pariter & honorem concessa nobis diuinitus potestate integre curabimus atque inuiolabiliter conseruare. Datum Beneuenti septimo Idus Octobris.